



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

[Prima Pars.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

TRACTATUS
POSTERIOR QUI EX-
ERCITATORIUM VITAE SPIRI-
TVALIS INSCRIBITUR, ET RE-
 ligiosum hominem informat, quibus viis ad
 veram summamq; perfectionem illi
 tendendum peruenien-
 dumq; sit.

PROLOGVS.

AD beatissimæ Trinitatis, & glorio-
 fissimę virginis Dei genitricis Ma-
 riæ & dominæ nostræ gloriam: &
 ad magnam in vita spirituali se ex-
 ercere cupientium vtilitatem; in
 hoc libro fratres dilectissimi tractabimus qua-
 liter exercitator & vir deuotus debeat exercita-
 ri secundum illas tres vias: scilicet,

{ Purgatiuam,
 { Illuminatiuam,
 { Vnitiuam.

Et qualiter certis & determinatis exercitiis per
 omnes dies hebdomadæ,

{ Meditando,
 { Orando,
 { Contemplando,

gradatim poterit ascendere ad consecutionem
 optati finis: qui est animam Deo vniri. quod san-
 cti veram & absconditam sapientiam appellat.

Istæ prædictæ tres viæ attribuuntur tribus vir-
 tutibus Theologicis: quæ sunt,

b 3

Fides,

{ Fides.
 { Spes.
 { Charitas.

per quas quasi per quædam media, ad summam
 tatem montis, qui est diuinus amor ascēdimus.

Fidei,	} tribui- } tur via	{ Purgatiua, vt initium, { Illuminatiua, vt medium, { Vnitiua, vt finis.
Spei,		
Charitati,		

Non enim sine medio secundum Gersonem in
 suo monte contemplationis de imperfecto ad
 perfectum transire valemus: neque subito quæ
 & repēte fit summus, & in virtutibus perfectus:
 sed acquiritur ipsa perfectio ad similitudinem
 operationis naturalis: quæ procedit ab imper-
 fecto ad perfectum. Ignis enim vt videmus, a
 mo incipit, deinde est flamma cum fumo; po-
 stremo ignis purus & clarus in carbone. Simi-
 ter granum in terra seminatū primo putrefcit,
 secundo germinat, postea pullulat extra terram
 & crescit vsque ad maturitatem. Et planta
 transplantanda, in terra sterili existens, primo
 radicabitur; secundo replantabitur & erit tan-
 quam mortua, postea virescit & in altum su-
 crescit. suo modo videre est in aliis naturalibus
 per totum. Pariformiter volens ascendere ad
 vitam vnitiuam & contemplatiuam, in suo in-
 itio non potest habere perfectionem: quin potius
 oportet eum prius emittere fumum dissolu-
 centiæ de vita sua præterita: & flere amarè, se-
 ipsum turbare sine aliqua consolatione; postea
 veniet flamma amoris cum fumo tali: postremo
 amor purus sine fumo. In statu primo mortifi-
 cabitur vita carnalis præterita. In secundo ger-
 minat

minabit alius extra terram. In tertio fructus erit perfectus. Simili modo in similitudinē plantæ eradicabitur talis de terra mala & sterili vitæ mundanæ: quod fiet cum pœna magna & labore; postea replantabitur, vbi adhuc leuiter sustinebit grauitates. vltimo vero erit radicans fortiter & perfectè: & afferet fructum multum. Itaque qui in prædictarum trium viarum exercitiis diligenter fuerit exercitatus auiditate adipiscendi diuinum amorem: adiuuante domino: citius valebit attingere perfectionem nisi ex sua culpa & negligentia hoc noluerit desinens in eis exerceri, aut rediens ad vitia & noxias delectationes: quæ vt superentur & radicitus euellantur, sollicitè est laborandum: alioquin modicum proficiet, prout plenius continetur in tractatu de Spiritualibus ascensionibus: cuius initium est, Beatus vir.

QVOD RELIGIOSO SPIRITVALITER
proficere cupienti, multum confert bonorum
consortia querere: & malorum
deuitare.

CAPVT I.

Hortatur nos Propheta dicens; Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris. Igitur frater in Christo Iesu dilectissime diligenter caue ne per prauorum dissoluta & dolosa consortia decipiaris. Adhære alicui viro religioso, qui sit virtute præditus, disciplina ornatus, scientia eruditus, grauitate maturus, in timore Dei fundatus, à quo iugiter audias

b 4

adifica-

ædificationis & consolationis verba & imitatione digna. Sicut enim calculus frigidus si adiungatur calculo ignito, accenditur & ardet: ita qui tepidus & frigidus est, adiunctus ei qui est feruidus & deuotus, feruescit sæpe, & fit deuotus, eruditus, atque bonis moribus adornatus. Sicut Apostoli redemptori nostro cohærentes, facti sunt viri sancti, & repleti Spiritu sancto. Similiter Marcus adhærens Petro, fuit eruditus in Euangelio & meruit esse Euangelista. Timotheus quoque Paulum comitatus, ab ineunte pueritia in Scripturis sanctis peritissimus fuit, atque per eundem Apostolum Paulum, Episcopus ordinatus: demumq; Euangelium prædicans obiit gloriosus martyr. Rursus secutus Ambrosium Augustinus ab eo fuit instructus & baptizatus, meruitq; in sancta Ecclesia doctor esse clarissimus, atque in toto terrarum orbe nominatissimus. Sanctus etiam puer Maurus gloriosum patrem Benedictum sectatus, meruit postea Abbas dignissimus esse, ac virtutibus & miraculis refulgere. Et deuotus Bernardus Abbatem Stephanum comitans in Cisterciensi monasterio, in sua religione totius religiositatis electus est lumen splendidum: & instar conuantissimæ syderis in cunctis claruit terris: nunc claret in cœlis. Plura possemus tam veterum quam noui Testamenti exempla ponere, quæ ad salutem animæ & ad spiritualia exercitia bonorum consortia multum profunt, & malorum nimium obsunt: quæ ob prolixitatem vitandam præmittimus.

270

QVOD AD PVRGANDVM SPIRITVM
*religioso valdè est necessarium in spiritualibus
 exercitijs exerceri.*

CAPVT II.

FRatres dilectissimi in libro Psalmodum scribitur, quòd magnus ille Propheta Dauid dicebat; Meditatus sum nocte cum corde meo : & exercitabar & scopebam spiritum meum. Deuoto igitur religioso qui desiderat spiritum ad imaginem & similitudinè Dei factum, de Hierusalem in Hierico, id est, à statu tranquillitatis & pacis ad tantam status mutabilitatem lapsam reformare, & pristino statui restituere, necessarium est vt præfati præclarissimi Prophetæ exemplum accipiens spiritualibus exercitijs spiritum suum castiget, mundet, & purget, tam à vitijs & peccatis, quàm à corruptis affectionibus: vt gratiarum & spiritualium donorum valeat esse capax. Nam scriptum est, quod in animam maleuolam non introibit sapientia : neque habitabit in corpore subdito peccatis. Et quia, vt ait Augustinus, ordo est causa pacis & tranquillitatis animæ : & ea quæ non sunt ordinata non possunt permanere, & semper sunt inquieta : & quæ ordinata sunt permanent & quiescunt, & præstant animæ magnam fortitudinem : fit enim hostibus terribilis vt castrorum acies ordinata : ideo operæ precium est dare aliquè modum, & aliqua assignare determinata exercitia: vt scientes quæ nobis agenda sunt, semper firmus pacifici, & in eis nosmetipsos exercentes, spiritum nostrum ad suam pristinam reformemus amissam dignitatem.

b 5

De

DE FRUCTIBVS, QVI EX CERTIS
 & determinatis exercitijs proueniunt.

CAPVT III.

Bonorum exercitiorum perquam gloriosus
 est fructus.

PRIMVS ex certis & determinatis exercitijs
 proueniens, est prauarum & volubilium cogitationum, ac noxiarum affectionum deuotio, quibus frequenter sordescimus, non habentes frænum, quo motus cordis nostri constringantur: cum sensus nostri & cogitatio sint prona ad omne malum ab adolescentia sua, vt in Genesi scribitur. Est autem impossibile cor à vagis cogitationibus reuocare nisi mediante diuina gratia fuerit certis & determinatis exercitijs stabilitum: vt enim ait Abbas Serenus in collationibus Patrum: naturaliter anima nunquam potest esse ociosa, sed est necessarium vt secundum suam propriam mobilitatem discurrat, nisi habeat aliquid fixum & stabile, vbi suos motus exerceat. Et secundum sanctorum doctrinam, anima absque certis exercitijs est quasi domus quatuor habens ianuas apertas: nam quicumque volunt ingrediuntur & egrediuntur domino domus nesciente: similiter faciunt cogitationes in animam certa exercitia non habentem.

SECUNDVS fructus, quæ determinata afferunt exercitia, est cordis nostri ad expedite & magnifice operandum stabilitio, nam sæpè idem facientes, illud conuertimus in naturam, & generat

neratur in anima nostra habitus per continua-
tam operationem. certa autem exercitia non
habentes tot in suis exercitijs recipiunt consilia :
quot opera vident alios facientes. Hodie circa
vnum & cras circa aliud occupantur semper di-
spersi & vagi, quod est valde reprehensibile : vt
in collationibus Patrum legitur, & in tractatu
cuius est initium, Homo quidam descendebat
de Hierusalem in Hierico : vbi dicitur quod isti
tales parum, vel nihil proficiunt.

TERTIVS fructus est feruor: qui enim habet
ordinata exercitia est feruentior ad explendum
ea, & pudet torpore seu negligentia dimittere,
quod semel feruenter & solícite cœpit. Vnde
fit vt deuoti religiosi certa soleant habere exer-
citia secundum tempora & horas perutilia : ne
in spiritus torpeant profectu, quin potius tali-
bus exercitijs se arctant: quo magis ac magis
iugiter in tali profectu flammescant. Et secun-
dum Sanctorum doctrinam, sicut ex incuria &
negligentia spiritualium exercitiorum causa-
tur tepor & frigiditas, ita ex assiduo eorundem
studio, siue ad animam siue ad corpus pertine-
ant, si absque aliqua remissione operemur ea,
generatur in nobis suavis quædam actualis vel
habitualis affectio.

QUARTVS fructus est: quia per certa exerci-
tia facilius in tui deuenies cognitionem: vt sci-
licet scias quantum proficis vel quantum defi-
cis, si progredieris vel si retrogredieris: confide-
rans si expleueris exercitia feruentius & solici-
tius hodie quàm heri, an tepidius seu negligen-
tius. Itaq; cõparatione vnus diei ad alium, vide-
bis si proficis vel deficis,

QVIN-

QVINTVS fructus est : quia longè plus proficit & meretur , qui pauca ordinatè operatur re-
cta intentione , quàm qui agit multa & difficilia
vagus absque certo modo & ordine. Et vt San-
cti testantur , vtilius est vnum opus rectè ordi-
natum sapientis ; quàm multa laboriosa insipi-
entis.

CONSIDERA ergo quàm copiosus fructus ac-
crescit eis , qui cor suum tradere curant certis
vel determinatis exercitijs. Et quia tantus in eis
prouenit fructus , Deo adiutore , aliqua certa &
determinata exercitia disponemus , in quibus
per totam hebdomadam valeamus exercitari
secundum prædictas tres vias : scilicet , Purgati-
uam , Illuminatiuam , & vnitiuam : prout inté-
rius est dicendum.

QVAS CONDITIONES DEBENT HA-
*bere qui in exercitijs spiritualibus exer-
cendi sunt.*

C A P V T IV.

Oportet primo fratres dilectissimi , vt illi
qui in spiritali vita vult exercitari , ab omni
mni mortali crimine cor suum expurget per
contritionem & confessionem : cor enim im-
purum Spiritus sancti influxus nequaquam ca-
pere potest.

SECUNDA conditio est , vt omnem abhorrea
carnis voluptatem , fugiens omnem leuitatem
videlicet , Risum , Fabulas , & quascunq; huius
modi consolationes. qui vt ait Bernardus ; de-
cata est diuina consolatio : & non datur adm-
ter

rentibus alienam. Et Augustinus dicit; Cùm cor nostrum habet vnde delectetur exterius, absque consolatione manet interius. Filij Israël non receperunt manna, donec defuit eis farina quam de Ægypto asportauerant. Et quæ est frater farina Ægypti nisi nostra secularia opera, quæ donec defint, cœleste manna quod est diuina consolatio, nequaquam gustare valemus.

TERTIA conditio est, vt cor à curis exterioribus & superfluis sit alienum: vt quasi vas vacuum diuinæ gratiæ implendum illud offerat.

QUARTA est: vt spiritualem profectum ardeat fitiat ad instar Iacob qui pro Rachele seruiuit non sentiens præ amoris magnitudine solis ardorem, neque hyemis algorem. Sit feruens in recolendo sua exercitia & in obseruando rememorata: ita vt nec minima negligat. nam qui minima negligit, paulatim decedit.

QUINTA conditio est, vt sit moderatus, id est, discretus in exercitiorum electione & executione; ne eorum multitudine grauetur: & ob indiscretionem ab intento fine fraudetur. Alio enim modo nos debemus habere circa finem, qui est diligere Deum sine mensura, & eum in cor nostrum imprimere: vt nullatenus aliquo consilio ab actu interioris (si fieri potest) dilectionis cessemus: nam huiusmodi dilectioni nullus ponitur terminus. Et alio modo nos debemus habere circa ea quæ nos ad finem deducunt: quæ sunt spiritualia exercitia: & sic ea ordinare, quatenus facilius nos valeant in optatum finem deducere: qui est diuinus amor & cordis

cordis

cordis puritas: vt in collationibus Patrum: & in tractatu, Beatus vir scribitur.

QUALIA DEBENT ESSE EXERCITIA SPIRITUALIA: & de eorum moderatione.

CAPVT V.

Non expedit frater vt leuiter eligas qualicumque exercitia: quin potius debes ea eligere & formare secundum Sanctorum patrum exempla: iuxta illud quod scriptum est: Omnia fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Obseruabant autem sancti Patres in suis spiritualibus exercitijs certas condiciones: quas & tu in tuis obseruare debes.

PRIMA est, vt diuinis scripturis & sanctorum dictis, & patrum exemplis consonent; nam quicquid sacrae scripturae dissonum est, non immerito licet videatur bonum, suspectum est. Et quia sunt multi qui ad suum sensum scripturarum intellectum extorquent, ideo oportet tua exercitia cum aliquo spirituali & illuminato viro tractes: & super his eius consilium accipias.

SECUNDA conditio est diligenter attendere, vt exercitia sint moderata, maxime quantum ad duo secundum Sanctorum doctrinam. Primum est, ne nimiam afflictionem, neque immoderatam occupationem in eis sumas. Nam propter afflictionis nimietatem mentis dulcedo in amaritudinem vertitur: & propter immoderatam occupationem mentis tranquillitas destruitur. Vnde sic oportet exercitia moderari.

vt omnia cum quadam mentis alternatione & moderatione agantur : secundum illud ; Modo lege, modo ora, modo cum feruore labora, & sic hora breuis, & labor erit leuis. Nec te circa ea ita occupes quod tibi fastidium generent, aut causent infirmitatem : alioquin non possent multum durare.

TERTIA conditio est, vt exercitia sic sint disposita & ordinata : quod congruant vnicuique secundum suum statum & dispositionem tam interiorem quam exteriorem. non enim omnia omnibus conueniunt : neque omnes circa eandem rem æqualiter se habere possunt : quin potius talia exercitia vnusquisque debet sibi eligere : quæ contra suas vitiosas inclinationes decertent : & ad virtutis amorem trahant & promoueant & per talia exercitia magis poterit proficere : nam secundum Ambrosium, quærendum quidem in omni actu quid personis conueniat, quid temporibus & ætatibus : quid etiam singulorum ingenijs sit accommodatum.

QUARTA conditio est, vt summè caueatur ne sint temporalia, videlicet quod ad tempus permaneant, & ad tempus negligantur : sed sint stabilia, hoc est, vsque in finem permanentia. Valdè nanque ait Bernardus, est suspecta leuitas eorum, qui nunc hoc volunt, nunc illud : nunc sic se exercent, nunc sic, in nullo fixi. qui tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt ; semper quod non habent cupientes & quod habent fastidientes, & in neutro proficientes. Qui vult in suis exercitijs proficere, oportet statuere

statere aliquem finem, & ad eius adeptionem sua media quæ sunt spiritualia exercitia, ordinare: & in illis fixus permanere. Finis autem nostrorum exercitiorum vt ait Abbas Moyses in quadam sua collatione: & tractatus Beatus vir, est adipisci cordis puritatem & perfectam Dei charitatem. Quorū vnū scilicet Deum perfecta dilectio vel beatitudo est finis vltimus alterum quod est finis secundarius & dispositiuus est cordis munditia quæ disponit nos ad perfectam charitatis & beatitudinis adeptionem & ad hos duos fines animæ oculus semper dirigendus instar sagittariorum, qui aliquando ponere signum consueuerunt, in quod sagittas suas iaciant, alioquin multo consumpti laborum modicum proficeremus.

DE HIS QUAE AD SPIRITUALIA
exercitia nos excitant.

CAPVT VI.

A Postolus Paulus exhortatur nos diligentia solitudine non pigri, spiritu feruente domino seruietes. Sollicitè igitur consideranda sunt feruoris incitamenta, quia secundum Sanctorum doctrinam, initium totius boni eiusdem boni feruens desiderium: nunquam enim in religione feruens erit, qui ante feruendi desiderium non habuerit. Nam secundum Bernardum, necesse est vt ignis desiderij præcedat omnem locum quo est ipse venturus. Et vt ignis iste desiderij in nobis excitetur, sexdecim considerationes hinc assignabimus, quas summo

dio deuotus religiosus debet in corde suo ponere; nullatenus enim spiritualis vita diu permanere potest, nisi per earum assiduam recordationem.

PRIMA igitur est, vt cum summa diligentia attendamus quantum diligendus est Deus ratione suæ summæ perfectionis, beatitudinis, magnitudinis, infinitæ potentæ, & ineffabilis sapientæ: cum ipse sit summum bonum, & aliarum innumerabilium perfectionum in eo existentium. Considera igitur quantum ipsum diligis: quoniam totum hoc modicum est ad id quod debes.

SECUNDA consideratio est, quot dolores, angustias, anxietates, dura verba, duriora verbera, & acerbissima ac immanissima supplicia passus est; & pro nobis in cruce mori dignatus est: & quàm modicum nos pro eo pati volumus.

TERTIA consideratio est, quod bona nobis promisit in illa æterna beatitudine; in animæ & corporis glorificatione, & quàm tepidè laboramus pro illius summi thesauri adeptione.

QUARTA consideratio est, quot & quanta bona dominus noster generi humano contulit in eius creatione & redemptione; & vnicuique nostrum in vocatione ad religionem, in sustentatione, & conseruatione: & propter tot & tanta beneficia non solum gratias non impendimus, quin potius eum incessanter offendimus.

QUINTA est, quot & quanta peccata nobis dimisit: & quoties in eis relabimur: & pro gratiarum actione in odibile ingratitude scelus incurrimus,

6
SEXTA

SEXTA est, ad quantam perfectionem tenemus scilicet & Decalogi observationem propter precipientis auctoritatem, & per consequens ad nunquam mortaliter peccandum, & ad Deum super omnia diligendum: nihil in hac vita æquè vel supra ipsum amando: & ad cupiendum proximis nostris bonum eos sicut nosmetipsos diligendo: & eorum saluationem desiderando, hoc est vt Deum super omnia diligant.

SEPTIMA consideratio est, quot nobis perfectionis exempla in sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & in omnibus Sanctis sunt exhibitum qui omnes sicut nos mortales erant: tamen nostra desidia illorum exemplorum vestigiolumus imitari.

OCTAVA est, quanta est virtutum formiditas, & honestas: & quanta est vitiorum deformitas, confusio, & vitilitas: nos tamē a vitibus deuiantes inseparabiliter vitij adhaerentibus.

NONA est: quàm difficile est spiritualem vitam inchoare his qui ex tepiditate hoc difficilium enim dominus noster semper sit paratus iuuare liberi arbitrij infirmitatem, nos nequam conamur facere quod in manu nostra est. hinc est quod pauci benè inchoant, pauciores optum bonum persequuntur: & paucissimi ad finem perseverant. propter quod ex diuina misericordiae confidentia, & ex feruenti conatione ex tota nostra scientia, voluntate, & facta debemus tendere in perfectionem.

DECIMA est, quantæ est difficultatis, carnis mundi bella deuincere: tam quæ ex bonorum terrenorum appetitu quàm quæ ex prauorum

inter quos degimus consilio & familiaritate insurgunt; & etiam malignorum spirituū subtilia & crebra certamina: nos autem quamuis in tātis simus periculis constituti, ac si essemus securi, tepescimus & torpemus: & nullatenus ad resistendum satagimus.

VNDECIMA est, quā rari sunt, qui vsque in finem perseuerent. multi quidem sunt, qui perfectionis scalam ascendunt & currunt, & vsque ad eius medietatem pertingunt, non tamen ad eius summitatem perueniunt. Veruntamen rari inueniuntur, qui de tanto bono sicut est perseuerantia curant: pro qua semper est orandum, si saluari cupimus. cum reuera sciamus non esse coronandum, qui triginta vel quadraginta annis benè vixerit, sed qui perseuerauerit vsque in finem,

DVODECIMA est, quam brevis est vita presentis, & quot merita in ea possemus acquirere: & quod si semel fuerit amissa, nunquam ad eam redire poterimus: nos vero tempus nobis ad mensuram datum inutiliter cōsumimus: morti & extremo iudicio virtutibus vacui, & vitijs pleni quotidie instanter appropinquamus.

TERTIADECIMA est; quanti rigoris, asperitatis est diuina iustitia: quæ pro vno solo mortali crimine, de quo si quis pœnitentiam non ageret neque vsque ad finem emendaretur, corpus & animā eius qui huiusmodi est, in inferno absq; dubio æternaliter cruciaret: & quod nullū peccatum veniale quantumcunq; minimum manebit impunitum. Consideranda est hic cæcitas & stultitia nostra, cū enim dominus noster pl-

cari & ad misericordiam inclinari per poenitentiam suspiria & dolorē de peccatis, quæ in eum perpetravimus nunc valeat: hoc agere negligimus; & tanquam intellectu rudes, iugiter diuinæ iustitiæ manibus appropinquamus.

QUARTADECIMA est; quanta est acerbitas, diversitas, & æternitas infernalium poenarū, quarum tamen reus est qui breui & momentanea delectatione sibi per Deum prohibita vult huius frui. Et cum illa tormenta multiplicia sæuissima & perpetua credamus, non curamus ab eis fugere: cum per millia millium annorū quæcumq; temporales poenas deberemus libenter sustinere: vt ab illis doloribus & nunquam finiendis cruciatibus liberari possemus, dicit Propheta: Quis poterit habitare ex vobis coram igne deuorāte, aut quis habitabit ex vobis coram ardoribus sempiternis?

QUINTADECIMA est, præ oculis semper habere profundam abyssum diuinorum iudiciorum: qui super multos fecerit: qui multo tempore sanctè vixerunt, & in magna sanctitate perstiterunt, quos tamen dominus propter aliqua vitia in ipsis latentia deseruit. Si hoc attentè aduertemus non dubito quin ad bene agendum feruentes essemus. Vnde Propheta nos admonet, dicens: Venite & videte opera Dei terribilis in consilijs super filios hominum. Hoc oportet nos considerationem facere de nostra salute, & timere ne diuina gratia priuemur.

SEXTADECIMA & vltima cōsideratio est; quanto nos beati expectant desiderio, & quanta aviditate nostrum affectant aduentum. Si hoc

nè attenderemus, non ambigo quin ad eos ire instaremus. De quo dicit Bernardus: Expectant nos Angeli, vt ruina eorum instauretur: Beati, vt eorum gloria compleatur: Deus pater nos expectat quasi filios & hæredes: quos super omnia bona sua constituat: Filius, quasi fratres & cohæredes: vt fructum natiuitatis & preciũ sui sanguinis nobis impendat: & ipse Spiritus sanctus qui est charitas & benignitas, in qua nos pater ab æterno prædestinauit. neq; dubiũ quin prædestinationem suam adimpleri velit. O fratres quomodo curremus ad aliqu locum in hac vita, si sciremus ibi esse dominam nostram nos expectantem? quanto magis igitur ad locum deliciarum & gloriæ, quæ sine carent festinandum nobis est: vbi tam multi, tam magni tamq; affectuosè nos expectant? In hac consideratione habendũ est desiderium resolui & esse cum Christo. Istarum considerationum finis in duobus consistit. Primum est propriæ imperfectionis clara cognitio. Secundum est ardens desiderium ascendendi in altiore perfectionem & maiorem feruorem. Quis igitur erit qui hæc in corde suo conferens, nisi mætrem habeat ferream, statim ad rectè & religiosè viuendũ non inardescat, omnem à se expellens torporem & negligentiam? Ista quæ supradicta sunt non hic scripsi, vt ea tantũ semel legas: sed sæpè & quasi semper maneant in memoria: omni die verses ea in corde tuo, ne frigescat: vel si frigere contigerit, eorum recordatione reflammescat.

QVOD PROMISSA VOTA, ET LOCI
*dignitas nos ad feruorem cogant in nostris
 exercitijs habendum.*

CAPVT VII.

LEgitur in Ecclesiaste: Si quid vouisti Deo,
 ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissis. Vehementer ad recte
 & feruenter in religione viuendum, votis astringimur
 solemniter promissio. Firmiter quippe tenendum est per
 omne votum ritè promissum vouentes ad sui teneri obseruatione. Et vt Doctorum
 quidam asserunt, magis obligat votum quàm iuramentum.
 itaq; qui promissum transgreditur votum, mortaliter peccat:
 & grauius quàm transgressor iuramenti secundum sanctum Thomam
 Secunda secunda. Quid igitur o fratres, promissimus nisi per labores
 & exercitia dare operam, vt ad virtutis veniamus perfectionem?
 à quo conatu qui recedit, voti transgressor reputandus est:
 sicut è contra secundum Bernardum, quandiu indefessum proficiendi studium,
 ingentemq; ad altiora anterioraq; conatum habuerimus, non voti fractores
 deputamur, etiam si crebrius ceciderimus. Habent igitur hoc desiderium,
 & debita & ordinata exercitia explentes, quod promissimus perfoluamus
 & quod nobis promissum est obtinebimus. Sumamus à seculi hominibus
 exemplum, qui ad promissa violare perhorrescunt, vt captiui dimissi
 reditum pollicentes, promisso tempore redeant: quamuis se acriter
 cruciandos agnoscant. Incitat nos quoq; ad feruorem, loci dignitas

tas. Vtinam attentè aduerteremus quàm graui-
ter offendunt illi, qui tepide & remisse in mona-
sterio viuunt. De quibus dicit Propheta Hiere-
mias: Quid est quòd dilect⁹ meus in domo mea
fecit scelera multa? Grauiissimè quidè peccant
qui huiusmodi sunt, multiplici ratione,

PRIMO propter religionis sublimitatè, quam
transgrediuntur mentientes, cùm quod Deo
promiserunt, non soluunt.

SECUNDO propter loci sanctitatem, secundum
illud Esaiæ: In terra sanctorum iniqua gessit: &
non videbit gloriam Dei, & secundum illud Hie-
remiæ: Contaminasti terram sanctam meam.

TERTIO, propter temporis opportunitatem,
quam habet in monasterio ad sanctè viuendum.
Valde tamen est dolendū, quia mens nostra du-
ra & ad malum prona manna fastidians, appetit
manducare cæpas quæ suos edentes ad lachry-
mas cogunt.

QUARTO, propter bonorum societatem: nam
qui inter bonos malus est, similis est Iudæ inter
discipulos domini: & sicut Sathã inter filios Dei.

QUINTO, propter Dei liberalitatem, ei neces-
saria prouidentis, proditor siquidem deputand⁹
est, qui contra dominum suum ei necessaria ad-
ministrantem pugnat. nam & canis suos con-
suevit amare beneficos.

SEXTO, propter votū & professionē: quæ mul-
tū peccatū aggrauant, non enim leuis putāda est
culpa, vt q se primo Deo obtulit, ab eo discedens
se offerat diabolo: & sic mēriatur Spiritui sancto.

SEPTIMO, quia qui in monasterio male viuunt,
vnius boni locum occupat.

OCTAVO, quia præsumit illos actus exercere ad quos non est idoneus. nam præsumit astare in conspectu Dei, & alia plura huiusmodi.

NONO, quia non timet illas grauissimas penas, quibus legimus fuisse punitos, qui in locis sacris aliqua crimina perpetrarunt.

DECIMO & vltimo, quia non timet damna quæ incurrit: nam perdit omnia religionis bona, & fit expers bonorum religiosorum, & comparatur blasphemo latroni: quia de cruce claustrari descendit ad crucem inferni. Et concludens vos admoneo, vt si quis vestrum se torpere senserit, cum Bernardo dicat: Cur torpes? cur desidia anima tebescis? non sunt condignæ passionis huius temporis ad culpam præteritam quæ remittitur, & ad gratiam præsentem quæ immittitur: & ad futuram gloriam quæ promittitur: euigila anima mea quia magna sunt quæ promisimus: sed maiora sunt quæ nobis promittuntur. Compleamus ista ô anima mea & suspiremus ad illa. Attende, quia delectatio peccati brevis est, & pœna perpetua paruus labor virtutis, & gloria infinita, vocatio multorum & pauci electi omnium remuneratio: quidam ad gloriam, & alij ad pœnam sine fine. Vigila igitur frater in tuis exercitijs: & tempore orationis statuto post vigilias ne dormias: quia qua non putas hora vocaberis. Et attende quia vigilant dici beatos.

HACTENVS diximus, quàm sit necessariû ad spirituales profectû consortium bonorû, & ad studio spiritualiû exercitiorû, & de eorum fructibus

ctibus, si sint certa & ordinata; & de eorum con-
 ditionibus, qui in eis sunt exercitandi: & de ex-
 ercitorum moderamine: & de his quæ in nobis
 sanctum feruorem excitant. Restat nunc vt di-
 camus & disponamus qualiter religiosus debe-
 at exercitari secundum illas præmemoratas tres
 vias scilicet Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vni-
 tiuam: vt per earundem exercitium & per ora-
 tionem & contemplationem valeat gradatim
 ad optatum finem peruenire, scilicet animam
 Deo vnire secundum illud Pauli: Qui adhæret
 Deo, vnus spiritus est: & hoc à sanctis dicitur ad
 veram sapientiam pertingere.

*QVOD SPIRITVALIA EXERCITIA
 habere debent certas & determinatas materias,
 tempora, & horas.*

CAPVT VIII.

Spiritualium diuersitate ciborum vti debet
 religiosus. Experientia namque nouimus,
 quod quantumcunque aliquibus cibus sit de-
 lectabilis, si quotidie sumatur, interdum parit
 fastidium: & appetit homo alios cibos quamuis
 non ita sapos. Et si cui apponuntur diuersi ci-
 bi, tanto plus & auidius ex eis sumit, quanto in
 eorum singulis nouum experitur saporem. Si-
 militer & deuotus religiosus cum ad orandum
 accedit spiritualium varietas epularum sibi quæ-
 renda est. Non enim mediocriter laborare cre-
 denda sunt caput, pectus, & vniuersa corporis
 membra: cum anima ignitis desiderijs in cœ-
 lum conatur ascendere. Vnde variis meditatio-
 num

num dapibus utendum est, ut in saporum vicifitudine aliquid valeas corpus releuaminis reperire. Primus & præcipuus cibus debet esse deuota oratio, & castum desiderium; ut scilicet anima appetat purgari, illuminari, & vniri illi suo beatissimo & dulcissimo sponso. Et ideo maxime incipientes duo debent considerare, vel meditari. Primo, illa, quæ timorem incutiunt: à quo anima inchoat spiritualem viam ad Deum volens accedere. Secundo debet crebro Redemptoris nostri vitam & passionem ruminari. Nam Redemptoris vita, mors, & passio est ostium, quo intratur ad amorem diuinitatis, & in huius signum eius latus ferro fuit apertum: ut per hoc clarè nobis innotesceret, neminem ad diuinitatis amorem ingredi posse, nisi per ianuas vulnerum humanitatis. Et cum Dei seruitas cœperit radicari in deitatis amore, poterit aliquandiu à consideratione humanitatis cessare. Nam propter huius gustus & experimentalis cognitionis adeptionem, circa humanitatem eius vulnera prius versabatur. Et hoc modo per totam hebdomadam secundum ferias, materias sunt distinguendæ. Erit igitur agendum de timore secundum viam purgatiuam: de diuini beneficiis secundum illuminatiuam: de diuini perfectionibus & laudibus secundum viam vnitiuam: ut exercitator dapum spiritualium habeat multipliciter. Et hoc quantum ad materias.

QUANTVM ad temporum & horarum assignationem fratres, est notandum, quòd multo utilius est corpori, & conuenientius eius appeti-

tui, vt affueſcat aliquo determinato tempore cibum ſumere, ſi illud ſemper obſeruetur. Simili modo anima appetens ſpiritualiter viuere, debet habere tempus conueniens, in quo valeat ſeorſum ſola manere: & certas horas diei & noctis ad orandum: quibus quotidie panem ſpiritualem, & ſpirituale diuinæ conſolationis vinum valeat accipere. multo enim amabilius & delectabilius eſt animæ hoc conuiuiū, quàm carni eſt cibus corporalis: non enim eſt rationi conſentaneum, vt anima quæ domina eſt corporis, maneat ieiuna, & expers ſui ſuauiſ & delectabilis cibi: & caro quæ eſt ancilla nequam, & pigra, aſſignata & certa hora victum ſuum accipiat.

QVOD autem horæ aſſignatio orationi ſit vtilis, facile poteſt oſtendi: nam ſicut ex conſuetudine & frequentatione bonorum operum generatur in anima quidam habitus & inclinatio, quæ placet ei & delectatur in bono, ita cum tempus eſt determinatum vel hora in qua vacet orationi, eodem tempore ſe ſentit promptiorem, & expeditiorem ad ſurſum erigendum cor ſuum per feruens deſiderium. Tempus autem ad orandum aptius eſt nocturnum, ſecundum illud Prophetæ: Nox illuminatio mea in deliciis meis. Et cum Dei ſeruus habet horam deputatam orationi, ſemper illa hora per deſiderium ſe ſentit aliquo modo proniorem ad orandum. Et ſi illa hora abſque ſolita præterit oratione, non manet cor abſque magno dolore: & præcipue cum dimittitur ex negligentia vel aliqua minus rationabili cauſa; non enim eſt anima

crucia-

cruciatu expers: cum suo dulcissimo cibo delectabili refectione & spirituali lætitia quam degustare solebat: frustari se conspicit. Itaque concludentes dicimus quòd opportunum orationis tempus est nocturnum, secundum illud Psalm. In die mandauit dominus misericordiam suam & nocte canticum eius, ac si apertius diceret: In die iussit dominus operibus vacare misericordix, & nocte cantico laudis suæ.

HORAE autem orationi congruentes secundum Hieronymum, & Bernardum, sunt post vigilias & post completorium: in istis enim horis seruus Dei ad vacandum spiritualibus exercitiis est expeditior. & hæc sufficiat quantum ad tempora, & horas.

QVOD MULTIPlici RATIONE

Sancti determinata assignauerunt tempora & horas, in quibus vacandum est mentali orationi.

CAPVT IX.

O Fratres dilectissimi non immeritò statuerunt sancti Patres vt certis horis diei & noctis mentali orationi religiosi vacarent. In modum enim secundum deuotum Bonauer turam conuenit proficere cupienti, vt assidue orationis & deuotionis studiis exerceat cor: siquidem vt prædictus sanctus dicit: religiosus qui hanc orationem quotidie non frequentat, non solum est miser & inutilis, sed uera animam mortuam portat in corpore uiuente. Cum enim tanta sit efficacia & uirtus orationis

ipsa sola certamina & tentationes superat spirituum malignorum. Et omnis anima quæ orationis rore non irrigatur, facit imperfecta opera & multiplici infecta fastidio. Et è conuerso oratio est valde utilis & inæstimabilis virtutis ad omnia proficua promouenda, & noxia amouenda. & ideo

SI VIS patienter tolerare aduersa, sis homo orationis.

SI VIS tentationes & tribulationes superare, sis homo orationis.

SI VIS prauas affectiones conculcare, sis homo orationis.

SI VIS astutias Sathanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare, sis homo orationis.

SI VIS lætanter viuere in opere diei, & laboris & afflictionis viam incedere, sis homo orationis.

SI VIS in spiritali vita te exercere, & carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis.

SI VIS vanas muscas cogitationum fugare, sis homo orationis.

SI VIS animam tuam sanctis & bonis cogitationibus, desideriis, feruoribus, & deuotionibus impinguare, sis homo orationis.

SI VIS cor tuum virili spiritu & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis.

SI VIS vitia extirpare, & virtutibus imbui, sis homo orationis.

SI VIS denique ad contemplationem ascendere, & sponsi amplexibus perfrui: sis homo oratio-

oratio-

orationis. In ea enim recipitur sancti Spiritus unctio: quæ de omnibus mentem docet & ad cõtemplationem & cœlestium degustationem, per orationis exercitium deuenitur.

VIDETIS fratres orationis rationes, & quàm magnæ sit potentia & virtutis. Ad quorum omnium confirmationem ommissis Scripturarum confirmationibus hoc tibi fit pro efficaci probatione quòd quotidie audimus, & videmus ad oculum illiteratas & simplices personas præmissis & alia complura potiora dona adeptas fuisse. Sollicitè ergo omnes orationi vacare debent, qui Christum imitari desiderant, & præcipue religiosi, quibus maior ad hoc debet esse temporis copia. Quare inquit idem Sanctus & Seraphicus doctor ad sororem suam scribens, te hortor, tibiq; quantum possum mando districtius, vt pro principali exercitio tuo sumas orationem, nihilq; aliud te delectet nisi oratio. quia nihil tantum te delectare debet quàm morari cum domino, quod fit per orationem.

QVOD INCIPIENTES DEO SERU-
*re inchoant à timore, qui diuina est initium
 sapientia & de speciebus timoris.*

CAPVT X.

SECUNDUM Anselmum in libro Doctrinarum
 Somnes incipientes incipiunt à timore ser-
 uili, quia à timore seruili incipit filialis. Beatus
 datum est habere timorem Dei: timor enim
 est fundamentum fidei, charitatis origo, initium
 diuinæ sapientiæ secundum illud quod scribitur

bitur in prouerbiis: Principium sapientiae timor domini, quia est ianua conuersionis, & ut dicit Cassiodorus: Per hunc enim ad Deum velut quibusdam ianuis introitur. & deuotus Bernardus super Cantica dicit: Tunc primo Deus animae sapit cum eam afficit ad timendum: non cum eam instruit ad sciendum. Et Cassianus libro 4. Institutionum dicit: Principium nostrae salutis, eiusdemque custodia timor est: per hunc enim & initium conuersionis, & vitiorum purgatio, & virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiruntur. Vnde notandum est quod secundum Magistrum sententiarum in 3. dist. 34. quatuor sunt species timoris, secundum quem aliquo modo ad Deum conuertimur, vel ab eo auertimur scilicet timor mundanus sine humanus, seruilis, initialis, castus, vel filialis. Humanus timor ut ait Cassiodorus, est quando timemus pati pericula carnis vel perdere bona mundi propter quod delinquimus. Hic timor malus est, & procedit ex nimio sui, & praesentis vitae amore.

SECUNDVS timor est seruilis: de quo loquimur in praesenti: & ut dicit Augustinus, timor seruilis est cum propter timorem gehennae, aut alicuius temporalis incommodi seu mali, continet se homo à peccato. Iste autem seruilis timor cum peccandi voluntatem non auferat, non est cum charitate: & habens hunc solum timorem non posset saluari, sed adueniente charitate propellitur. qui adhuc ideo bene agit, quia poenam timet, Deum non amat: nondum est inter filios Dei. Aduertendum tamen quod licet
timor

timor seruilis simul cum charitate non stet, nihilominus via est ad illam, secundum illud Ecclesiastici: Timor Domini initium dilectionis. Et Augustinus ait: Timor Dei locum præparat charitati: cum cœperit charitas habitare, pellitur qui ei præparauit locum: quantum illa crescit tantum ille decrescit: maior charitas, minor timor, si nullus timor perfecta charitas.

TERTIVS timor dicitur filialis, siue castus & est ille, quo timemus ne sponsus offendamus: ne sponsus tardet: ne discedat: ne eo careamus. Timor iste de vero Dei amore nascitur, de quo Propheta ait: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. De differentia autem istorum duorum timorum, videlicet seruilis & filialis siue casti, Augustinus super prima Canonica Ioannis dicit sic: Est timor castus permanens in seculum seculi: sicut sunt homines qui timeant Deum ne mittantur in gehennam. Iste timor introducit charitatem: sed sic venit in seculum. Sic enim propter pœnas times Deum, non amas: non bona desideras: sed mala caues. Occurris te & incipis bona desiderare: est in te timor castus, qui est ne amittas ipsa bona. sicut si ponatur duas mulieres maritatas, quarum vna velit adulterium facere, sed timet maritum ne veniat: hæc diligit nequitiam, & onerosa est ei præferentia mariti: altera amat virum, & nulla se ad adulterium immunditia vult maculare: optat præferentiam viri: timet illa, timet ista: illa timet virum ne veniat: ista timet ne discedat: illa dicit: timeo ne damnet, ista dicit: timeo ne deserat. Hoc exemplo cognosci potest quomodo timor seruilis

lis, quem charitas foras mittit: differt à timore filiali vel casto, qui permanet in seculum seculi.

QUARTVS timor dicitur initialis, qui est quasi medius inter duos supradictos, scilicet seruilem & filialem. nam seruilis timor iuxta præmissa est, quo se homo continet à peccato timore poenæ: timor filialis est, quo se homo continet à peccato timore offensæ; filiorum est enim timere Patris offensam: timor verò initialis dicitur quo homo propter vtrumque scilicet poenam & offensam se à peccato abstinere. Et ideo dicitur à beato Bernardo, duos habere oculos, dextrum, quo respiciens sursum timet à Deo separari: sinistrum, quo respiciens deorsum timet incurrere poenas. timor iste dicitur initialis, quia est incipientium in quibus inchoatur filialis timor per inchoationem charitatis, non tamen est in eis timor filialis perfectè; quia nondum peruenerunt, ad perfectionem charitatis. Et ideo timor initialis, vt dicit sanctus Thomas, hoc modo se habeat ad filialem sicut charitas imperfecta ad perfectam: quæ non differunt secundum essentiam, sed secundum statum: quidam enim sunt in statu incipientium, alij proficientium, alij perfectorum.

Hos timores hîc exposuimus, vt dignoscere queas quo ipsorum sis affectus: & relicto seruili, à filiali possidearis timore.

d

DE

DE HIS, QUAE A NOBIS SEM-
per sunt timenda.

CAPVT XI.

Dilectissimi fratres quamuis plura sunt quae nobis timenda sunt, quaedam tamen sunt periculosiora, & ideo horribilius metuenda: in quibus potiora colligantur, vt ab illis sollicitius cauere valeamus.

Debet homo timere

HVIUS mundi alteritatem & instabilitatem: quia homo nunquam in eodem statu permanet: & nescit vtrum odio vel amore dignus sit. si enim nos Deus desereret, in ictu oculi demon peruerteret.

CARNIS proprietatem, mundi, & diaboli bellum quo indefinenter spiritus impugnatur.

IMbecillitatem, & quotidianam negligentiam in resistendo, poenitendo, & precibando.

DIVINAE iustitiae seueritatem: quae clara in casu Luciferi: qui pro vno commisso peccato, fuit in aeternum de caelo eiectus: quantum magis qui multa commiserunt peccata illuc non quaquam ascendent? Apparet quoque ista veritas in peccato Adae qui propter vnum peccatum a Paradiso fuit expulsus, & porta caeli fuit clausa donec Saluator noster per suam mortem eam aperuit. In qua etiam mortificatione apparuit rigor inflexibilis, & terribilis diuiniae iustitiae: quia reliquit suum dilectissimum filium in manibus tam dirae gentis, vt occidit quando cum clamore valido in cruce

mauit dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quia ergo feueriffimus rigor & rigidiffima feueritas diuinæ iuftitiæ ita apparuit in viridi ligno & virtutibus pleno & tam dilecto à Patre: quid erit in nobis qui fumus ligna virtutibus arida & iniquitatibus repleta? Relucet etiam huiusmodi rigor in diluuiò: tunc enim totus (præter animas octo) mundus periit.

A M B I G V V M ex hac vita egressum: quia nemo fcit, vbi, quando, aut quomodo, fcilicet si bene vel male moriturus est.

F V T V R V M iudicium, vbi iudex neque decipi neque precibus aut muneribus poterit inclinari, neque ab eius poterit appellari sententia, neque ab eo quisquam valebit fugere.

P O E N A R V M purgatorij acerbiter: quæ secundum Auguftinum omnem huius vitæ pœnam superant.

D A E M O N I O R V M & pœnarū inferni horrorem, eiusq; ignem inextinguibilem.

P E R P E T V A M à dilectiffimis cœlestibus ciuibus separationem.

A M A R I S S I M O S fletus, & gemitus damnatorum omni carentium folatio. nam ficut oues in inferno pofiti sunt, & mors depafcet eos.

C O G N I T I O N E M, & confufionem fuorum peccatorum.

Debet homo timere

O D I V M fui, & vniuerforum quæ in toto mundo aguntur.

P O E N A R V M infernalium perpetuitatem: quia in inferno nulla est redemptio.

d a

P E R P E

PERPETVAM illius ineffabilis glorie, & sp̄s
ad eam perueniendi priuationem.

RATIONIS obstinationem: quia qui sunt in
inferno, sunt in malo obstinati & nihil boni ap-
petunt.

DENTIVM stridorem præ angustia nimie-
tate: qua damnati vltra quàm dici potest tor-
quentur.

DAMNATORVM detetionem & captiuita-
tem: non enim inde exire cùm volunt, valent.

CONSCIENŒ vermem: qui incessabil-
ter eorum conscientias corrodit, & cruciat

propter { Bona omissa.
 { Scandala dimissa.
 { Mala commissa.

vel propter { Bonorum dimissionem.
 { Scandalorum impensionem.
 { Malorum commissionem.

Leuemus igitur in æthera oculos, & orantes
camus:

Christe redemptor pie.

Qui sumus causa tuæ viæ.

Ne perdas nos in hac die.

DE MEDITATIONVM PARTITIONE
*per totam hebdomadam, secundum viam
purgatiuam.*

CAPVT XII.

DEUOTUS religiosus, & præsertim incipit
præcipue se debet exercere secundum
am purgatiuam. Et vt iuxta ea quæ præ
sunt, sua habeat determinata & ordinata ex

citia, diuidendæ sunt meditationes viæ purgati-
uæ per totam hebdomadam, hoc modo,

Feria 2.	} Memoria	{ Peccatorum.
Feria 3.		{ Mortis.
Feria 4.		{ Inferni.
Feria 5.		{ Iudicij.
Feria 6.		{ Passionis.
Sabbato		{ Dominæ nostræ.
Die dominica		{ Cœlestis gloriæ.

FERIA secunda debemus exerceri in me-
moriam peccatorum secundum tres particulas
viæ purgatiuæ: quæ sunt,

- { Exasperatiua.
- { Compunctiua.
- { Eleuatiua.

Quarum exercitium hoc modo practicari po-
test.

IVSTITIA, & iudicium iuxta Prophetam
sunt præparatio sedis Domini. Quando igitur
ascendere appetit cordis affectibus ad perfe-
ctam cœlestis sponsi vnionem: si pane illo quo
fruuntur spiritus beati in gloria cœlesti quasi
quibusdam micis adhuc in huius mortalis vitæ
miseria exulans cupit refici, necesse est ei tria
habere officia: per quæ adiutus diuina gratia,
paulatim ascendat per scalam cœlestis contem-
plationis. Dicit enim diuinus Dionysius in li-
bro cœle. Hier. quòd tria sunt Angelorum offi-
cia, scilicet purgare, illuminare, & perficere. O-
portet ergo primò, vt anima quæ adhuc in hac
mortali vita existens ascendere cupit ad altissi-
mum cœlestis beatitudinis statum, vbi Angeli
visione diuinæ gloriæ lætificantur, studeat se
d 3 purgare.

purgare. Secundo, radiis diuini splendoris illustrari. Tertio, conetur vt ascendens ad altiorum gradum cordialium affectuum, perficiatur altitudine diuini amoris, qui eam vnum cum Deo faciet spiritum. Vnde primo dicendum est de prima via scilicet purgatiua in qua se excens luget peccata sua & iniquitates, quas contra Deum perpetravit, vt sic lugens diuinam imploret misericordiam. Nam in via ista purgatur conscientia: quod iuxta præmissa, statim conuenit incipientium. Et hac via disponitur & instruitur nouum cor absque aliqua humana doctrina vacans solum cœlestium studiis doctrinarum. quantumcunque enim sit simplex & laicus & illiteratus qui circa hoc versatur exercitium, necessario diuina illustratione eleuabitur non ad theoriam scientiæ, sed ad praxim experientiæ. Vnde antequam illa increata sapientia in anima sedeat sicut in proprio throno secundum illud: Anima iusti sedes est sapientie oportet in anima fieri iudicium & iustitiam. Iudicium quidem, vt quemadmodum per peccatum mortale à suo creatore se auertens, reliquit eum & contempsit ad creaturam tam infeliciter quàm miserabiliter per amorem se committens, sic plenè se humiliet, vt tantum ad misericordiam diuinam inclinet pietatem suam humilitate, quantum aduersum se iustitiam & reprobam dictam superni iudicis sua prouocauit temeritate. Iustitiam vero: vt anima quæ sui creatoris amabilem delectationem commutauit pro inominabili creaturæ dilectione, tanto se cruciet dolore, vt secundum rationem saltem

correspondeat satisfactio offensæ maiestatis diuinæ, quanta correspondere deberet secundum rationis æquitatem iniuriæ humanæ.

Quia igitur fratres oportet, vt in nobis ipsi faciamus iudicium & iustitiam, feria secunda post matutinas hora deputata orationi veniens ad locum statutum, genuflexus signans crucis vexillo frontem, os, & pectus, dic hanc antiphonam: Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende. & ter hunc versum: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et spiritu attracto accipe personam rei, & timoris affectu positus coram Deo, quasi quodam se uero iudice te damnare volente, debes accuratissimè ad memoriam reuocare & attentissime considerare quantum Deus quolibet ostenditur peccato: & vt tali recordatione ad deuotionem compungaris & exerciteris secundum primam particulam, quam diximus exasperatiam: in principio orationis vulneretur cor tuum in peccatorum memoriam, te ipsum acerrimè reprehendens, & his actus stimulis, meditans dic;

O ANIMA MEA

Confidera nunc attentissime & totis viribus sentire satage, quantum vnum solum peccatum displiceat Deo.

Intuere diligenter & vide, quomodo superbia è cælo luciferum eiecerit. Adam inobedientia de paradiso, & luxuria consumptæ sunt Sodoma & Gomorra, & totus mundus diluuiio periit.

*Lucifer
Adam.*

Confidera quomodo filius Dei redemptor tuus propter peccatum, tam amarissimam sustinuit mortem; ne peccatum, scilicet maneret impunitum, & iustitia diuina absque satisfactione.

Rimare etiam in corde tuo, non nisi secundum opera tua Deum te iudicaturum.

Contemplare Deum esse,

{ Intelligibilem.

Æquitatem { Infallibilem.

{ Indeclinabilem.

Nō minus in punitione malorum quàm in glorificatione electorum. Vnde secundum opera tua tribuet tibi.

Animo quoque tuo reuolue peccata ante tuam conuersionem commissa quàm multiplicata sunt, scilicet cogitationis, consensus, delectationis, oris, & operis: tot enim sunt, vt præ multitudine ea nequeas numerare.

Aduerte quàm turpia, & præcipuè quantum ad carnalia: in quibus tamen non est commorandum; ne vnde queris contritionem, deciparis à delectatione.

Attende quàm grauia quibus Deum offensus & iterum Christum crucifixisti.

Recogita quoque peccata post conuersionem perpetrata, quomodo semper tam negliger, tam tepidè, tamq̃ inutiliter tot vixisti annis.

Conspice peccata tua figillatim, & ea in conspectu Dei confitere, & cum te examinaueris ista diligenter in corde tuo pertracta.

QVAM modicum pro tuis satisfeceris peccatis.

QVAM modicum pro eis dolorem assumpseris.

QVAM pauca opera satisfactoria pro eis feceris. Scias quidem te in hac vel in futura vita soluturum vsq; ad vltimum quadrantem. Et ideo dicit Bernardus: Centuplum reddes quod hinc simplo soluere posses. Cum igitur tu peccator & praecipue si nouiter incipis ista in animo tuo versaueris, & te timore confixum senseris, ac interius dolore plenum non timore inferni quod dignus es, sed quia tuum benignissimum Deum offenderis, humilians animam tuam, inclina faciem tuam, siue caput super genua interpositis brachijs indignum te reputans coelum suscipere: & dirigens cor tuum in Deum cum amara contritione, dic: O pijsime pater, ego sum ille filius prodigus qui omnia scelera haec contra tuam immensam maiestatem perpetraui, & ingratus extiti: tu enim me innocentem condidisti: sed ego me ipsum pollui, deformauit, & vniuersis peccatis laceravi. Tu Domine pro me crucifixus, vulneratus, humiliatus es: & ego omnibus viribus exaltari curavi. Tu Domine nudus in cruce, & ego vanis, & lasciuis indutus vestibus. Tu Dñe felle & aceto potat⁹, & ego in comestationibus & ebrietatibus sum delectatus. Tu Dñe totus multiplicibus laboribus plenus, & ego torpens & ociosus. Quid igitur faciam Domine? Nūquid desperabo? Vbi est illud quod ait Propheta, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? Æs eruginosum & speculum

lum maculis respersum expurgatur: igitur & ego per viam

Purgatiuam { Contritionis
Confessionis
Satisfactionis

lima purgari curabo. Et sicut me ipsum exaltaui, sic fiam abiectio & opprobrium hominum. Contra auaritiam, proprietatibus renunciaro: contra carnis illecebras, ieiunijs, vigilijs, fame, & siti me affligere non cessabo: ac me ipsum per tria expurgare conabor; scilicet,

per { Gemitum orationis.
Caminum tuæ passionis.
Incendium tuæ dilectionis.

Exercitata igitur anima hoc modo in prima particula viæ purgatiuæ, & per dolorem asperum ex suorum memoria peccatorum amaritudine & dolore plena transeat ad secundam eiusdem viæ particulam scilicet compunctiuam & viuaci affectione dicat;

O DOMINE DOLEO

Tuam amicitiam amisisse;

Tuam maiestatem contempnissse;

Iniquitatibus meis cōsensum præbuisse & merito
tufarie culpabilem vitam egisse:

Tempus & vires tam animæ quàm corporis de
lapidasse:

Iussa tua & tuæ sanctæ Ecclesiæ, ac maiorum
meorum transgressum fuisse:

In resistendo peccatis pœnitendo, & in virtutibus
proficiendo infirmum fuisse:

Laborem manuum, orationem, meditationem,
& lectionem neglexisse:

Hab-

Habitu, consuetudinem, & creberrimam intentionem peccandi habuisse:

Ingratitudinis nequissimo vitio ultra quam dici potest te offendisse, te enim mihi meorum scelerum indulgentiam sapissime concedente, fateor me miserū in eis iterum & iterum & infinities reincidisse: Charitatem, vitam animæ meæ peccatorum meorum innumerabili multitudine frequentissime in me extinxisse: Timorem tuum delictorum meorum grauedine, & ingenti abominatione quæ contra te dominum maiestatis commisi deseruisse: Et hoc modo humiliatus, compunctus, & confusus, orans dic: O Domine Deus meus Iesu Christe, ego sum *no:* ille iniquus & infelix omnium peccatorum infelicissimus & abominabilissimus peccator, qui tot & tanta contra tuam immensam maiestatem crimina perpetraui, vt ea numerare nō sufficiam; sunt enim super numerum arenæ maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Et orans hoc modo vel alio prout te cōtritio cordis vel deuotio inclinauerit, ex omnibus viribus tuis satage emittere viscerosa suspiria & gemitus, siquidem quemadmodum lima purgat & polit ferrum auferēs ab eo omnem rubiginem, sic cordialia suspiria & gemitus peccatorum & vitiorum eruginem destruunt, & rore diuinæ gratiæ penitus diluunt. Et sic ex præcordijs suspirans & gemens dic: Quo igitur Domine à facie maiestatis tuæ fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descēdero in infernum, ades. atq; ita orans adde: O Domine quid faciam? Nunquid me ipsum interficiam? Absit Domine

Domine

Domine : scio enim te pijsimum omnibus qui ad te in veritate conuertuntur : & miserationes tuæ supra omnia opera manuum tuarum. Si autem neq; sic dolorem in te vales excitare, nõ propterea cesses per singulas noctes in tuis exercitijs prædicta saltem cursim transcurrere. Nam Deo satis est vt conemur facere quod in nobis est. Et adhuc sæpè Dominus noster expectat finem operum nostrorum : & derelinquit nos aliquid tantulum, non impendens nobis compunctionem, neque aliquam consolationem, vt fides & patientia in nobis probentur; & peccatorum nostrorum maior compunctio nobis fide & patientia probatis per ipsum donetur.

Postquam sic te in particula compunctiua exercueris, de Domini misericordia non desperans, erige per spem animam tuam secundum illam particulam quæ appellatur eleuatiua: & cū grandi fiducia sustolle caput quod hactenus supra genua tenueras : & erectus stans parumper quiescens, collige animam tuam, & cum dulcedine mentis eleua te intra te ipsum ad laudandum Dominum implorans eius misericordiam, contemplans eius magnitudinem, & nobilitatem, his quinque verbis magnæ deuotionis excitauit,

{ Domine,	{ Dulcis
{ Bone,	{
{ Pulcherime,	{ Misericors.

Ab obtinendum siquidem eius gratiam sine qua eius consequi misericordiam est impossibile, oportet, vt ad similitudinem parasitorum principum magnorum curias discurrentium

qui cum aliquod temporale munus acquirere cupiunt ab aliquo principe, primo eum multis modis laudant, & deinde quod desiderant expostulant: sic spiritualis fias parasitus laudans Dominum ad obtinendam tuorum veniam fanaticorum. Et cum Deus sit tantæ excellentiæ, vt nullius humanæ linguæ officio possit prout in se est nominari, eum per opera eius nominamus; & per eandem eius magnitudinem & nobilitatem commendamus: primo in quantum est principium & origo totius creaturæ: dicentes, O Domine, scilicet factor omnium creaturarum. Bone, secundum quod se habet ad animas sanctas & ad Angelos in æterna beatitudine: ac si diceremus, O summa bonitas quam facie ad faciem vident & contemplantur omnes Angeli, & animæ sanctæ in illa ineffabili foelicitate. Tertio, nominamus eum considerantes modum secundum quem se habet ad vniuersa creata tam rationabilia quàm irrationabilia, scilicet quomodo dominatur omnibus & quomodo in tanta pulchritudine ea creauerit, dicentes, Pulcherrime, id est ô omnium creaturarum pulchritudo. Dulcis, id est ô dulcedo omnium iustorum. Misericors, scilicet omnibus peccatoribus, miserere mihi peccatori tribuens indulgentiam omnium peccatorum meorum. Et vbi in quinque istis dominum laudaueris, securè omnium iniquitatum tuarum veniam poteris postulare. Et hoc modo orare docemur in Canticis: vbi sponsam alloquens, ait sponsus: Vox tua dulcis & facies tua decora, scilicet per tenebrarum fugationem, quibus ante caligauerat.

rat.

oratio

rat. Et quolibet istorum quinque verborum
 cœlestis sponsus modo speciali poterit comen-
 dari. & adeo animæ deuotè conueniunt vt sem-
 per deberet ea corde ruminare. Et cum orare
 volueris, nõ erit tibi necesse per multitudinem
 verborum vagus discurrere, sed intra te ipsum
 collectus, & nõ per ea quæ foris sunt dispersus,
 poteris orare, dicens: O Domine bone, pul-
 cherrime, dulcis, misericors, propitius esto huic
 peccatori, quem pretioso sanguine filij tui redem-
 misti. Et hæc dicens verba ad hoc solummodo
 debes intendere scilicet vt tuorum veniam pec-
 catorum valeas obtinere. Et quia pro alijs orare
 est valde meritorium, atque non minus Deo
 gratũ, ideo istis eisdem verbis orare debes pro
 cunctis tam fidelium quàm infidelium statibus
 dicens: O Domine, &c. propitius esto vniuersis
 peccatoribus: & conuerte omnes infideles ad
 agnitionem tuæ sanctæ fidei Catholicæ: & pe-
 teris nõnunquam ab hoc tuum inchoare exer-
 citium. Post hæc implora quoque misericordiam
 redemptoris nostri, & expurga te ponens inter
 te & Deum eius pretiosam mortem & passio-
 nem, dicens: O Domine per sanctam passionem
dilectissimi filij tui qui pro me in cruce immo-
latus est, propitius esto mihi peccatori. Vel di-
 cens: Per sanctam incarnationem dilectissimi
filij tui vel per sanctam natiuitatem, prout scilicet
occurrerit meditatio vitæ Dominicæ seculum
sanctorum & præcipuè Dominæ nostræ interces-
cessionem, dicens. O pijsima virgo mater Dei
& Saluatoris nostri, tu quæ es sanctissima, ho-
 millim

millima & benignissima supra omnes sanctos
 cœlestis curiæ, & inclinas aurem tuam vt exau-
 dias orationes seruorum tuorum, & semper es
 iuuare parata, si tu domina dignaris inclinans
 te ante diuinam maiestatem orare pro me, qui
 sum supra modum peccator superbissimus &
 cunctis deterior peccatoribus, tecum pariter ô
 domina inclinabitur tota cœlestis curia dicens:
 Inclina Domine aurem summæ pietatis tuæ ad
 supplicationes sanctissimæ genitricis tuæ: di-
 gnissimum namque est, vt,

cuius	{	Intuitu
		Intercessu
		Affectu
tribuat	{	Gratia & benedictio miserabili & perdito.
		Cura & medicatio ægro.
		Venia & remissio reo.

O pientissima virgo, si ego sum indignus, tu
 Domina dignissima. Si ego superbissimus: tu
 Domina humilissima. Si ego immundus: tu
 mundissima. Si ego foetidissimus: tu fragran-
 tissima. Si ego carnalis & libidinosus: tu virgo
 purissima. Si ego peccator nequissimus: tu san-
 ctissima. Ex omnibus igitur præcordijs meis te
 supplico per vniuersos illos dolores, quos fer-
 uentissimo amore pro tuo dulcissimo filio per-
 tulisti, digneris pro me miserabili & derelicto
 interuenire & supplicare: per fugam Ægyptis;
 per amissionem dilectissimi filij tui in illo tri-
 duo; quo inter doctores demoratus est in tem-
 plo disputans: Per illum dolorem quem habui-
 sti cum suam mortem & passionem tibi in Be-
 thania

thania pronunciauit : Per illud amarissimum verbum quod in cruce te alloquens dixit, Mulier, Ecce filius tuus : Per fellis & aceti amarissimum potum ei subministratum : Per latus pretiosum mucrone diræ lanceæ perfossum : Per eius preciosissimi corporis in sacrosancta brachia tua descensum, vt mihi dignetur dimittere omnia peccata mea, largiriq; præsentī vitæ gratiam & in futura æternam suam gloriam. Et his peractis conuertere ad sanctos : videlicet.

FERIA secunda ad omnes Angelos generaliter, & ad Angelum custodem specialiter : quin magna deuotione & reuerentia tibi habenda est, & offer ei quotidie aliquam deuotā orationem. Sancto quoq; cuius festum illo die celebratur.

FERIA tertia vt supradictum est ad dominam nostram, & ad sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, & discipulos Domini accipiendo vnum eorum pro principali aduocato cum Sancto, qui illo die celebratur.

FERIA quarta ad dominam nostram, & ad sanctos Martyres.

FERIA quinta ad dominam nostram & ad Confessores.

FERIA sexta ad dolorosam, & amarissimam Domini passionem.

SABBATO ad dominam nostram, cum vniuerso choro virginum.

DIE Dominica ad beatissimam Trinitatem supplicans per suam omnipotentiam & sapientiam filij, & per bonitatem Spiritus sancti considerans immensam Dei altitudinem & m

rabilem eius super filios hominum dispensationem. Et cum hoc modo diuinam imploraueris misericordiam, dilata animam tuam adorans, magnificas, & gratias agens pro susceptis beneficijs, & signanter pro beneficijs illius diei, & contritione, & deuotione, & pro alijs donis nunc receptis, dicens: O super summe Domine anima mea te adorat, magnificat, & gratias impedit pro tot & tantis muneribus à tua largiflua magnificentia receptis. Ex totis prae cordijs meis tuę me dedico pietati. Et his dictis post trinam pectoris functionem dic ter hæc verba: Deus propitius esto mihi peccatori: atq; exurgens sta in tuis pedibus cum ingenti reuerentia, & dic Psalmum, Laudate Dominum in Sanctis eius: vel Psalmū, Lauda anima mea Dominum: vel Psalmum, Benedic anima mea Domino, vsque ad versum, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, cum Gloria patri, & Pater noster, & Aue Maria, dicens in fine, Et ne nos. Sed libera nos. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat. Oremus: Deus ad quem digne laudandum. vel de Trinitate: Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis. Et hoc modo finitur exercitium huius viæ purgatiuæ.

Debes tandem aduertere quòd quamuis quelibet istarum trium viarum habeat nomen determinatum & proprium modum procedendi, non propter hoc extimes quin in earum qualibet seorsum te exercitans, in omnibus simul tribus diuina preuentus gratia valeas exerceri scilicet purgatiua, illuminatiua, & vnitua, tuas miseras recognoscens gratias agens: & ad ad-

oran-

orandum & magnificandum Dominum animam tuam dilatans. Et caue ne finito præfato exercitio, statim diffundaris, sed pro viribus stude conseruare cor tuum in sua virtute & vigore, ne vaga vel fluida cogitatione aut vanalætitia dissoluaris: & sic anima tua lucrum perdat compunctionis, dans locum vanis & fluidis cogitationibus: sed stabilire cura cor tuum in vita Domini secundùm meditatione eius in illa die, vel in aliqua alia materia sancta deuotione excitatiua.

QVID FERIA TERTIA POST MATTHE-
inas sit meditandum.

C A P V T XIII.

FRater dilectissime in oratorio positus & crucis signaculo insignitus spiritu ad te reuocato, prout supra feria secunda diximus, forma meditationem circa mortem hoc modo. Et tu semper eius horam habeas suspectam

COGITA quomodo improuisa veniet: nam sicut fur, ita ventura est, cum eam minus suspicatus fueris, cum minus fueris preparatus, cum maior tibi fuerit viuendi fiducia, cum melius facere proposueris.

Et versa & reuersa accuratissime in eodem tuo modum & ordinem, quo ad mortem tendimus: & interdum ac si statim esses moriturus & sic profundius senties sequentia.

Quomodo mortem præcedet quædam grauissima infirmitas: & quomodo huius languoris cæteræ infirmitates sunt nuncij.

Languoris grauitatem. Considera terrorem naturalis inclinationis non mori sed permanere vehementer affectantis.

COGITA quomodo cum iam tibi transitus tuus ab hac vita innotuerit indicantibus tibi hoc medicis: vel te hoc in te ipso prognosticante, quantus erit tunc clamor conscientiae, quantus remorsus: quia cum potuisti, non te disposuisti, tunc omnia peccata tua ad memoriam tibi reuocabuntur.

Quanto pro eorum singulis & passionibus quas non superare curasti, dolore cruciaberis.

Si in tali mortis esses constitutus articulo & vitij & concupiscentijs astrictus, quantum vnum annum vel saltem vnam horam appeteres sanitatis.

Quomodo cum ad illam perueneris horam, si tempus praeteritum ad aeternitatem ad quam est transiturus comparaueris, quam breue tibi videbitur. Tota vita tua tibi somnium fuisse videbitur. Et omnes dies tui erunt tunc tibi ac si tibi per modicum spatium videlicet vnus miliaris perambulasses.

Quantus tibi erit dolor, cum te propter momentaneam & minimam delectationem, aeterna & ineffabilia amisisse gaudia lugebis.

Quam amarissimum erit diuortium, cum auulsus eris ab his rebus quas hic male amasti, scilicet ab honoribus, & status celsitudine: ad quem hic totis viribus inhiaisti: & a delitijs quibus tam auide adhaesisti: & similiter de alijs multis similibus.

De dispositione morientis quomodo corpus nigrescit, rigescit, & caligant oculi.

Quomodo dæmones ibi adsistunt tanquam rugientes Leones, præparati ad escam, animam præstolantes.

Quomodo misera anima eius exitu instante de corpore, incipiet anxie considerare regionem illam sibi incognitam ad quam tendit, & quod dæmones eam præstolantur. Quam inuita a corpore egredietur & quam libenter si posset, ad illud regrederetur: non tamen potest, quia omnes portæ sensuum sibi clausæ sunt, itaque cogitur inde exire & per medios dæmones trahere.

COGITA quomodo tunc spiritus singulorum vitiorum ad eam concurrent quærentes singulum quod suum est. spiritus superbiam superbiam, spiritus luxuriæ luxuriam, itaque unusquisque illorum immundorum spirituum quæret quod suum est.

Postremo, quomodo anima de corpore egressa mox ante tribunal iudicis statuetur, tunc sententiam receptura irreuocabilem, & ubi dignum ceciderit, ibi erit in perpetuum.

ADVERTE quomodo tumulo cadauer traditur, & perpetuæ obliuioni, hospes enim vniuersæ noctis fuit in hoc mundo, & abiit, & perijit memoria eius de terra.

Hoc modo per contrarium meditationem formare potes de morte iustorum. Nam iusti præcognoscentes se de hac vita migraturos, valde de lætantur suæ testimonio conscientia: & quod se per mortem vident ab huius vitæ miserijs liberari. sed & quia hic carnalibus non fuerunt ille

illecti concupiscentijs vel alijs, non dolent hinc egredi. Et post horum vel aliquot eorum meditationem prout noueris sufficere ad compunctionem & deuotionē excitandam, assume personam rei vel serui, qui dominum suum offendit: & humilitatis & doloris affectu forma orationem ex intimis cordis tui sicut supradictum est: recognoscensq; tuam miseriam postula misericordiam dicens: O Domine, bone, pulcherrime, dulcis, misericors, miserere huius peccatoris: quem pretioso sanguine filij tui redemisti. Et his dictis implora misericordiam nostri redemptoris ponens inter te & Deum pretiosam suam mortem & passionem dicens vt supra: O Domine per sanctā passionem pretiosissimi filij tui, qui pro me in ligno crucis immolatus est, propitius esto mihi peccatori. Et post hęc cōuertere tuæ meditationis oculum ad Dominam nostram postulans auxilium ab ea, sicut supra est expositū. deinde ad sanctos illius feriæ: & specialiter ad sanctum cuius solennitas illo die agitur. Et tandem adorans, magnificans, gratiasq; agens tuum terminabis exercitium secundum ea quæ fuerunt dicta in fine secundæ feriæ.

DE HIS, QUAE POST MATVTINORUM expletionem feria quarta sunt meditanda.

CAPVT XIV.

Igitur feria quarta ad oratorium veniēs postquam te signaculo crucis insignieris, spiritūq; recollexeris secundum quod feria secunda diximus,

ximus, forma meditationes circa pœnas inferni hoc modo :

Debes frater cōsiderare pœnas inferni ipsum-
quē infernum secundum aliquas similitudines,
quas Sancti in hac materia assignant.

CONSIDERA quoddam teterrimum chaos,
quendam locum sub terra tanquam quandam
profundissimum puteum totum ignitum.

Ciuitatem quandam horribilissimam & ma-
ximam, tenebrosam, flammis teterrimis & ter-
ribilibus succensam & ardentē : vbi cōmoran-
tes validos emittunt clamores, v'lulatus, & om-
nes miserabiliter ac inconsolabiliter plangunt
pre dolorū magnitudine & numero sitate. nec est
lingua mortalis q̄ eos sermone explicare valeat.

Per has & similes figuras inexplicabilem pœ-
narum acerbicatem. Nam vt B. Augustinus di-
cit tantum ignis inferni ab isto igne distat, quan-
tum verus distat ab igne depicto. Et idem con-
sidera circa algorem & fœtorem. Acerbitas pœ-
narum clare patet in stridore dentium, gemitu-
bus, planctibus, & blasphemijs quas in Deum
inferunt.

Pœnarum multiplicitem, ibi est teterrimus
ignis qui nunquam extinguitur intolerabilis al-
gor, intolerabilis fœtor, palpabiles tenebræ. ibi
omnes sensus incessabiliter cruciabuntur. Vi-
sus, in terribili dæmonum aspectu. Auditus, in
gemituum, fletuum, & clamorum auditione.

CONSIDERA miserabilem societatem, & tor-
torum immanissimam feritatem : sunt enim
absq; vlla pietate, neque in torquendo lacerantur
neq; ad misericordiam vnquam inclinatur: sed

insultantes eis quos cruciant, dicunt, Vbi est nūc vestrae gloriae claritas? vbi status vestri sublimitas? vbi superbia? vbi delitiae? & sic de alijs vitijs.

Quomodo in omnibus mēbris damnati vexantur: sed in his acerbius quibus deliquerunt.

Pœnas interiores, scilicet consciētiae remorsum, & vermen qui nunquam morietur. Quis igitur sufficienter contemplari poterit quātum reprobis ibi crucientur? eo quòd in hoc mundo viuentes modicis & quasi momentaneis laboribus huius vitæ, illos acerbissimos & nunquam finiendos, euadere non curauerunt, cum potuerunt.

Interiores passiones, quantum in ipsis regnabunt. Erunt enim vltra quàm dici potest iracundi, & inuidi sicut canes rabidi, recordabuntur quidem præteritorum peccatorum, & præcedentium deliciarum ad suppliciorum augmentum: & lamentantes dicent, Quid profuit nobis superbia? quid luxuria? quid cupiditas? quid gloria temporalis? quid carnis oblectamenta?

Pœnarum diuturnitatem, quarum nullus est finis; neque per millia millium annorum, quia ibi nulla est redemptio, & per consequens neque finis.

Frater igitur dilectissime cōscientia tua præmissis meditationibus stimulata, conuertere ad Dominum dicens in corde tuo, O altitudo sapientiae & scientiae Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia tua. O Domine quot cruciantur in inferno pro vno solo peccato? Et ego qui

tot & tanta commisi, quantarum sum reus pe-
narum, iustissime reus sum damnationis eter-
næ, obnoxius enim sum omni supplicio, & in-
dignus omni beneficio. Itaque his verbis aut si-
milibus ex intimis præcordijs prolatis, humilia
coram Domino animam tuam, ante cuius es cõ-
spectum. Nam cùm orationi intendis, firmiter
debes credere te esse coram Domino, & quo te
magis mortis æternæ reum iudicaueris & intra
te humiliatus fueris, eo citius absolutus eris &
in altiori statu subleuaberis. itaque dolore com-
punctus erige per spem animam tuam: & fida-
cia veniam consequendi, deuotè forma oratio-
nem in intimis cordis tui assumens personam
rei, & humilitatis & timoris affectu, tuas calami-
tates & miseras recognoscēs, implora diuinam
misericordiam: & age gratias eius contemplans
beneficia, secundū quod dictū est in alijs ferijs

IN QVIBVS MEDITATIONIBVS DE-
*bet religiosus exerceri feria quinta post matu-
tinalem synaxim.*

C A P V T XV.

Feria quinta constitutus in loco orationi de-
putato, armans te sacro crucis vexillo colle-
cto spiritu, sicut patuit feria secunda sic forma-
bis meditationes circa finale iudicium.

ATTENDE quantus erit terror, cum illam
Archangeli tubam, & illa tam terribilia signa
tonitruorum & fulgurum audient, & videbunt
peccatores. Turbabuntur horrore terribili vlti-
tra quàm dici potest.

ATTEN-

ATTENDE iusti iudicis iram implacabilem: qui veniet contra eos qui eum offenderunt: & quantum illi reprobis terrebuntur.

Amarissimum illud diuortium: cum iusti humiles & mansueti ponentur à dextris, superbi autem inuidi & luxuriosi à sinistris, nunquam de cætero coniungendi.

Quantus tremor, quantus terror, quanta admiratio erit tunc superbis & elatis, cum se humiliatos, abiectos, pauperes, viles & despectos viderint: & quos viles reputabant, in gloria à dextris Christi astare conspexerint? unde & præ dolore intra semetipsos dicent, Isti sunt quos aliquando habuimus in derisum. Et è contrario, iusti stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.

Quomodo ibi omnium operum & cogitationum est reddenda ratio. Illic Hierusalem scrutabitur in lucernis, hoc est, illi qui nunc videntur sancti, ibi examinabuntur, & quicquid in eis latebat, illic clare patebit: testes erunt Angeli & Dæmones: qui ostensuri sunt nobis quæ fecimus mala, tempus pariter, & locum. Propria quoque peccata & totus mundus, peccatores accusabunt.

ATTENDE quomodo Christus insignia passionis suæ ostendet: & malis suæ incarnationis beneficia improperebit, quia eum contempserunt.

Illam tam terribilem & irreuocabilem sententiam, cum dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum.

Dulcissimum conuiuium æternæ cœnæ ad
 e 5 quam

quam vocandi sunt iusti illis suauissimis verbis
Venite benedicti Patris mei percipite regnum,
quod paratum est vobis ab origine mundi.

Quantum Deo placent opera misericordiae
& pietatis: cum sola ea Christus redemptor no-
ster in iudicio allegare videatur,

Quomodo iusti ibunt in vitam æternam, ma-
li autem ad æterna tormenta. Et ista duo loca
scilicet Paradisus & infernus propter interpo-
situm magnum chaos, in æternum permane-
bunt diuisa. Stimulata igitur frater conscientia
tua per supra positam meditationem, verte cor
tuum ad Dominum, & dices; O Domine qui
evadere poterit illud tam iustum & tam tre-
mendum iudicium? O Domine non intres in
iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabi-
tur in conspectu tuo omnis viuens. Et per hæc
verba vel similia, forma orationem vt supra
paruit.

*QVAE COGITANDA SVNT FERIA
sexta post matutinorum officium.*

CAPVT XVI.

Postquam feria sexta ad oratorium veneris
& te crucis signo munieris, collecto spiritu
prout supra dictum est feria secunda, forma tu-
as meditationes, quomodo scilicet Redemptor
noster in horto orabat. & ac si ibi præsens esse
debes considerare

Quomodo consummata cœna in Hiero-
salem in cœnaculo in monte Syon egressus
cum discipulis suis in hortum,

Cum quanta eos benignitate alloquitur dicens, *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.*

Quomodo est auulsus ab eis, & sciens omnia quæ super eum ventura erant, se muniuit armis orationis.

Quomodo in agonia positus, fuit in eo tantus dolor & timor in parte sensitua, vt per omnia corporis membra sanguinei sudoris guttæ scaturirent, insinuans per huiusmodi sudorem magnitudinem interiorum dolorum & anxietatum.

Quot & quanti fuerint dolores, & eorū causæ, & acerrimi dolores gladij cor suum transfigentes: quorum omnium causa fuerunt peccata electorum præcedentium, præsentium, & futurorum: quæ omnia ipse clarius, apertius, & distinctius vidit, quàm aliqua mens humana aliquid valeat cognoscere.

Quomodo ibi satisfacit Patri pro iniuriis sibi illatis, pro singulis electorum peccatis singularem ei offerens satisfactionem, scilicet singularem dolorem, & passionem sustinens pro vnaquaq; Patris sui offensa.

Quomodo tunc presentata fuerunt ei omnia peccata tua, vsque ad minimum veniale sigillatim: & quantum pro eorum singulis assumpsit dolorem, Patri pro te abundantissime satisfaciens.

Conditiones quæ in eo fuerunt: ex quibus tam incomparabiles dolores oriebantur.

DEBES considerare primam conditionem, qui

qui erat filius Dei: & ideo vehementer dolebat de offensis Patris.

Secundam, quia erat pacis mediator inter Deum & homines: & quanto pacem diligebat, tanto de inimicitia & ira Dei contra homines ex peccato exorta dolebat.

Tertiam, quia erat animarum sponsus, & earum pulchritudinem ardentem amabat: unde propter eam fuit doloribus plenus.

Quartam, quia erat gratiæ reparator: quia peccatum fuerat destructa.

Quintam, quia erat vniuersalis redemptor: & oportebat ne peccatum maneret impunitum, vt pro omnibus diuinæ iustitiæ solueret & satisfaceret.

Acerrimos doloris gladios cor eius transigentes.

DEBES cōsiderare Primo, videns gloriæ suæ regnum diuersis peccatis ita expoliatū: & quanti illud erant ingressuri.

Secundo, videns gratiam multiplicibus peccatis destructam in animabus, & suam sacratissimam passionem paucissimis profuturam. Nam cum ipse esset ipsamet gratia dolebat de peccatis tanquam sui destructiuis.

Tertio, propter nostram ingratiudinem in quantum cōsiderabat peccata illorum qui post cognitionem tam inextimabilis redemptionis non verentur ad peccata redire, eum in seipsum denuo crucifigentes.

Quarto, videns ianuas inferorum patulas omnes reprobos damnatos, & vsque ad finem mundi damnandos.

Quinto

Quinto, cum nude, clare, ac distincte omnes dolores, opprobria, & impropria quæ cōtinuo erat passurus, fuit intuitus.

Sexto, cum ei illic fuerunt præsentati omnes suæ sanctissimæ matris, & omnium discipulorum suorum dolores, ac vniuersæ martyrum omnium cruces, & cæterorum labores electorum: quæ vsq; ad finem mundi propter eum erant passuri, omnes enim animam suam transfixerunt.

Acerbitatem dolorum, ex suarum viuacitate potentiarum: excedunt enim omnem mensuram, qui fuerunt longe plures & maiores, quàm nos intelligere valemus.

Suam infinitam misericordiam ex parte nostri, & ex parte Dei tam copiosam redemptionem & satisfactionem.

O durissimum cor, quantum malum erit tibi in nouissimo tempore, si ad tot amoris insignia nequis frangi, & totum per amorem resolui: & tot vinculis allectiuis non potes à tua duritia euelli.

Agitata igitur frater conscientia tua per præmissam meditationem, verte ad Dominum oculum mentis tuæ procidens ante suos sanctissimos pedes: petensq; indulgentiam omnium peccatorum tuorum, & ingratitude, & frigiditatis hæctenus à te habitatum: proponensq; de cætero calefcere ad tantum amoris ignem, dices cum Propheta: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, scilicet propter ea quæ dicta sunt. Et sic prostratus non finas eum donec

donec benedicat tibi. cætera fiant sicut in precedentibus feriis.

DE MATERIA MEDITATIONIS
sabbato post matutinalem synaxim.

CAPVT XVII.

Sabbato in oratorio positus, ac crucis vexil-
lo insignitus spiritu ad interiora reuocato vt
patuit feria secunda, forma tuas meditationes
considerans maximos dolores Dominæ nostræ
hoc modo: Attende igitur quòd si eius filius cu-
pis esse & eam tuam aduocatam, oportet te con-
dolere ei, quæ omni tempore vitæ suæ fuit ple-
na doloribus, angustiis, laboribus, & afflictioni-
bus: tota quippe eius vita fuit quoddam dolo-
rosus martirium.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit suum benedictum filium in præ-
sepio vagientem, præ frigoris asperitate, nihil
bens quo eum operiret.

Idem in crucifixione: & in eo quòd Symeon
ei prædixit, quòd suam illius gladius animam
esset transfixurus: In fuga Ægypti: In triuoillio
quo eum quærens tandem inuenit in templo
in toto eius vitæ decursu, videns eum fame
aliis inopiis vexari, neque valens ei sub-
nire.

Cum vidit eum sæpè plorantem: cum quo
ipsa lugebat.

Cum vidit eum ex itineribus fatigari, fame
& siti cruciari: & docentem contemni, vilipe-
di, & blasphemari: & ad comprehendend-
ob-

obseruari, nunquid hæc non fuerunt ei inmanissima martyria? reuera sic.

Cum toties audiebat eum de morte & passione sua loquentem: si enim Petro & aliis discipulis erat tam graue eum de passione sua loquentem, audire; quid putas dicendum de matre, quæ eum tam tenerrime diligebat?

Cum cognouit eum à Iuda fuisse venditum, à Iudæis comprehensum, & à discipulis derelictum.

Cum vidit de iudice ad iudicem trahi, & mortis sententia in eum data, crucem in humeris baiulare.

Attende quem habuit dolorem,

Cum vidit eum in cruce, & audiuit eum in ea loquentem transfixo corde doloris magnitudine sui dilectissimi filij: & in agonia positum vidit spirare. Et cum de cruce depositum in suis sacrosanctis vlnis est intuita mortuum, & tandem vulneratum. Et cum cõspexit eum tumultuari, magnitudinem suorum tunc dolorum non est lingua quæ possit depromere.

Manens in cenaculo cum Ioanne & Mariis & aliis discipulis, qui postea superuenerunt, quomodo erant supra modum tristes, & afflicti propter mortem & passionem Domini die hesternæ celebrata: & ac si ibi adesses, intuere diligenter quàm moestum est videre quòd Dominum mundi & principes diuini exercitus, sic sint reclusi in quadam domuncula, pleni timore, amaritudine, & dolore.

Cum ad inuicem loquebantur magnis fletibus, & singultibus;

Cum

Cum discipuli aderant pleni pudore & confusione, eo quòd eum dereliquerant: & præcipue Petrus qui eum negauerat: omnes percutientes pectora sua postulantes sibi à Domina veniam præstari.

Cum eos verbis consolatoriis consolabatur & confortabat dicens, Magister bonus & pater fidelis discessit à nobis, & ecce manimus sicut orphani: sed firmiter expecto nos citius eum rehabituros. Vos scitis quàm benignus est filius meus & quantum vos diligebat, non dubitatis quia bene reconciliabimini ei, & libenter remittet omnem offensam. Tantus autem permissione Patris fuit furoris impetus cõtra eum, & ita præualuit malorum audacia, quòd non potuissetis eum iuuare etiam existentes cum eo & ideo nolite turbari. Et quàm verecunde respondet Petrus dicens; Vere Domina ita estis dicitis: nam & ego qui tantam de me ipso confidentiam habebam, tanto in atrio Cayphæ timore percussus, vt vix crederem me euadere posse; & eum negavi nec fui memor verborum quibus hoc prædixerat mihi, quousque metaspexit.

Conscientia igitur frater tua per præcedentem meditationem stimulata cõuertere ad Dominum, petens ab eo veniam omnium peccatorum tuorum quibus toties eum negasti, quoties in eum deliquisti; & ad Dominam nostram cum omnibus aliis sanctis, sicut fuit præmissum.

QVAE MEDITATVRVS EST EXER-
citor die dominica expleto matutino-
rum officio.

CAPVT XVIII.

Dominica die postquam ad locum oratio-
nis assignatum accesseris, & te armis salu-
tiferæ crucis munieris, reuoca ad te spiritum tu-
um eo modo quo superius fuit dictum: & for-
ma meditationes tuas de cœlesti gloria hoc mo-
do: In primis

CONTEMPLARE illum mirabilem locum
scilicet cœlum empyreum sic appellatum pro-
pter suum admirabile lumen; hoc autem debes
speculari per quasdam similitudines imagina-
rias à sanctis inuentas, vt hoc capere possi-
mus.

Illum locum qui est sicut quædam magna ci-
uitas ex auro purissimo, gemmisq; preciosissi-
mis mirabiliter constructa, singulæ eius portæ
sunt ex singulis margaritis.

Quòd in ciuitate illa intrinsecus est campus
speciosissimus omnium florum qui excogita-
ri possunt, pulchritudine decoratus, ibi lilia,
rosæ, &c. florum genera tam suauissimæ fra-
grantiæ, vt nullo linguæ officio explicari que-
at; quæ nunquam marcescunt. Ibi semper est
amœnissima ætas, fragrantissima odorum sua-
uitas.

Illuc æternarum deliciarum habitaculum pe-
nitus vnus moris, & absque vlla dissensione: in
quo sancti æternaliter habitant, continens in se
omen quod delectare potest.

f

Quan-

Quantum illic erit gaudium semper videre beatissimam Trinitatem : in qua relucet omnis pulchritudinis, dulcedinis, & bonitatis exemplar, in qua visione omnia scibilia cognosces, omnia concupita possidebis, in ea enim beatus eris.

Quantum est gaudium quo ibi perfrungetur beati, gaudent enim feliciter in perfecta & praeclara contemplatione diuinæ claritatis, & gaudent dulciter in fruitione sapidissima diuinæ bonitatis, gaudent æternaliter in possessione securissima diuinæ maiestatis, non enim timeant vnquam priuari.

Visionem humanitatis redemptoris nostri, quomodo ille qui quondam in hoc exilio vitiosus est pauper, humilis & abiectus, illic videbitur vt Deus altissimus & homo verus.

Gaudium quod ibi tibi erit ex consortio virginis Mariæ dominæ nostræ & omnium sanctorum, scilicet, Apostolorum, martyrum, virginum & confessorum; ita enim de gaudiis eorum gaudebis sicut de propriis.

Dotes quibus corpus tuum beatificabitur, scilicet immortalitatem, impassibilitatem, agilitatem, & claritatem.

Dotes animæ scilicet plenitudinem scientiæ, iustitiæ & lætitiæ.

Quam multa alia magna & ineffabilia ex his principalibus dotibus consequeris videlicet securitatem : vt iam non timeas eiici : neque aliqua tentatione vinci : quia nullam experientiam habebis summam libertatem, sanitatem, voluptatem, amicitiam, honorem, & concordiam.

& breuiter omnia colligendo, habebis quicquid volueris, & quod nolueris non habebis. Vnde frater tua conscientia huiusmodi amoris stimulis agitata, dole vehementer te tuis sceleribus ab hoc tam mirifico tabernaculo elongasse: & tuos defectus recognoscens conuertere ad Dominum ex toto corde tuo dicens, O Domine trahere me post te; & curram in odorem vnguentorum tuorum: Et eodem modo orans conuertere ad Redemptorem nostrum & ad eius genitricem Dominam nostram; & post implorationem suae misericordiae & gratiarum actionem, fac finem exercitij tui eodem modo quo diximus feria 2.

QUANTO EST TEMPORE MANENDUM in praefata via purgatiua, & quomodo valet cognoscere quis se esse purgatum.

CAPVT XIX.

DIximus in superioribus de via purgatiua, per quam nouus Christi discipulus disponitur ad adeptionem optati finis, qui est gradatim ascendere ad vniendum animam cum Deo, quod est vera sapientia: & quod oportet eum studiose in ea assuefieri. Vbi autem in hoc assuefactus fuerit exercitio scilicet per spatium vnius mensis vt dicit Henricus de Palma in sua mystica Theologia, progrediatur vterius amoris caelestium intendens. quod fit per exercitium secundae viae, quae dicitur illuminatiua: eo quod cor illuminat per morosam diuinorum beneficiorum

ciorum considerationem. Et quamuis sit magnus peccator, non vereatur à Domino petere sui amoris incendium: quia in hoc nulla est presumptionis culpa. Cum enim præfatum temporis spatium Saluatoris pedes fuerit osculatus suorum amara recordatione peccatorum, digne potest accedere ad manuum oscula per diuinorum beneficiorum considerationem: quod tamen intelligendum est, si ita studiosam custodiam adhibuerit vitæ suæ, quod non habeat aliquid iugiter purgandum. Et ad cognoscendum an sit purgatus, debet diligenter considerare, vtrum hæc tria fuerit adeptus; scilicet,

Strenuitatem	} contra	{ Negligentiam.
Seueritatem		{ Concupiscentiam.
Benignitatem		{ Nequitiam.

His enim tribus habitis, conscientia fit bona munda & recta. Et vt ista facilius valeant intelligi, ponendæ sunt hic earum diffinitiones, quæ ponit Bonauentura in tractatu quodam, qui dicitur, Paruum bonum.

Strenuitas est quidam vigor animi excubiens omnem negligentiam, & disponens animam ad faciendum opera,

{ Vigilanter.
 { Confidenter.
 { Eleganter.

Seueritas est quidam vigor animi restringens omnem concupiscentiam, & habitans animam ac feruentem reddens eam ad amorem; scilicet

{ Asperitatis.
 { Paupertatis.
 { Vilitatis.

Benignitas est quidam dulcor animæ exclu-
dens omnem nequitiam scilicet omnem ira-
cundiam, inuidiam, & accidiam, & habilitans a-
nimam ad

- { Beneuolentiam.
- { Tolerantiam.
- { Internam lætitiã.

Et hic est finis & terminus viæ purgatiuæ secun-
dum viam meditationis: nam omnis conscien-
tia munda, læta est & iucunda. His tribus ade-
ptis promptus est animus vt fursum tendat, &
per ista cognoscere poterimus terminum no-
stræ purgationis.

SECUNDA PARS.

*QVOD ACCEDENS AD EXERCITI-
am viæ illuminatiuæ, est prius purgandus & mun-
dandus à suis peccatis per viam purgatiuam,
vt splendores diuinæ lucis
possit capere.*

CAPVT XX.

HACTENVS diximus de viâ purgatiua
per quam purgatur conscientia, quæ fa-
cilis in corde recolligi quam scripto vel
verbo doceri potest, per quam immediate Dei
seruus ad illuminatiuam ascensurus est: quæ ad
illuminandum ordinatur secundum illud Pro-
phetæ de viro iusto loquentis, Beatus vir cuius
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo di-
sposuit in valle lachrymarum, in loco quem po-
suit. Vbi est notandum quod per lachrymas &
gemitus